



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Sectio Tertia. Secunda ratio, ex Angelis, ex Beatis, ex Adamo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

SECTIO III.

Secunda ratio, ex Angelis, ex Beatis,
ex Adamo.

§. I.

Modus, quo Angeli in statu vie circa objecta sibi non evidentia judicaverunt, & operati sunt.

SUMMARIUM.

Doctores tuentes voluntatem peccare non posse absque prævio in intellectu defectu, n. 54.

DD. negantes, ibid.
Mens P. Suar. n. 55.

Ait omnes docere, quod nullus in Angelis ante peccatum præcesserit error speculativus, n. 56.

Ait Angelos ante peccatum facile potuisse vitare omnem errorem circa contingentia, suspendendo omne iudicium directum, & appellando ad solum reflexum de probabilitate, n. 57. 58. 59.

Suspendere in incertis iudicium directum, & soli fidere reflexo de probabilitate, sapit modum operandi Angelorum ante peccatum, n. 60. 61.

Lex de ferendo iudicio directo circa rem incertam supponit peccatum, & est omnino imperfecta, n. 62. 63. 64.

Nulla datur lex obligans operari minus prudenter, n. 65.

Offendo ad hominem contra Probabilioristas repugnare, ut operemur sub iudicio directo probabiliori, n. 66.

Si alterutra lex esset necessaria, an vetans sub solo reflexo operari, an vetans sub solo directo operari, standum esset pro lege vetante sub solo directo operari. Cur? n. 67.

Neutra tamen datur, ibid.

Offendo qualiter Angeli in statu vie ante peccatum, circa contingentia facile patuerint non errare, & honeste operari, n. 69. 70.

6. & alij; alteram, quæ negat necessarium aliquem prævium in intellectu defectum; & citat Henricum, Scotum in 2. dist. 6. qu. 1. Gabriel. Ocham. P. Val. tom. 2. disp. 6. qu. 8. qu. 1. & 2. & tom. 1. disp. 4. qu. 14. qu. 3. P. Molinam 1 p. qu. 63. art. 3. membr. 5. qui trahit Divinam Scripturam, Divum Aug. & Aristotelem.

Ut autem scientificè, & methodicè procedat, agit prius P. Suar. cap. 4. & 5. de defectu speculativo; & cap. 6. de practico. Defectus speculativus est defectus intellectus speculativi; practicus est defectus intellectus practici. Porro cap. 4. n. 8. asserit, quod ad peccatum nullus requiratur defectus speculativus, seu quod nullus in intellectu speculativo defectus debeat necessariò precedere peccatum. Probat; quia prima ratio culpæ non est ipsa ignorantia, etsi supponatur, quod culpabilis sit; sed est voluntas eam temerè admittens, & cum ea operans.

Deinde n. 9. ait, omnes pro certo habere, N. quod nullus in Angelis ante peccatum præcesserit, immò nec precedere potuerit error speculativus, seu cognitio difformis rei cognitæ: & quidem loquendo de objectis necessarijs, quod Angeli sive in purâ naturâ, sive in statu gratiæ errare circa ea non potuerint, vel saltem vitare potuerint omnem errorem, immò nec in eum cadere potuerint, nisi ex aliquâ culpâ, patet; quia de objectis necessarijs, tam naturalibus, quam moralibus, Angeli habent evidentem cognitionem; ergo circa ea sunt ab omni errore exempti.

Loquendo autem de objectis contingentibus, vel de secretis cordium, vel de rebus supernaturalibus, etsi aliqua difficultas sit, quatenus Angeli ante peccatum non habuerunt evidentiam de illis, adeoque videantur potuisse circa ea errare, nam solis conjecturis nitebantur; ergo videtur quod circa contingentia futura, & cordium secreta decipi potuerint.

Attamen cap. 4. n. 11. ait: Nihilominus asserendum etiam est in his materijs, non solum potuisse Angelum facile omnem errorem ante peccatum cavere, sed etiam non potuisse in eis decipi sine aliquo peccato, ita ut deceptio ad peccatum potius sequeretur, quàm antecederet. Declaratur in primis de futuris contingentibus, & occultis cordium. Quia in his facile est Angelis circa cordium cogitationes, vel contingentia futura non errare; quia possunt (intendat Lector) non ferre definitum iudicium de re ipsâ, sed tantum de apparentiâ, vel probabilitate, in quâ non possunt errare, quia cum eviden-

N. Pater Suar. lib. 7. de Angelis cap. 4. querit, utrum in intellectu Angelico ante peccatum præcedere potuerit defectus? Ait autem hoc dubium decidi non posse, nisi prius in generali decidatur, an necesse sit, ut ante omne peccatum præcedat prius aliquis error in intellectu; error, inquit, voluntarius, seu qui vitari possit, assumendo cognitionem ei errori oppositam, quâ assumptâ vitaretur peccatum? Duplicem autem trahit sententiam; unam, quæ affirmat voluntatem peccare non posse absque prævio in intellectu defectu; & pro hac stat S. Thom. 1. p. qu. 63. art. 3. ad 4. & art. 5. & 1. 2. qu. 77. art. 2. Caiet ibid. Ferrarien. contra Durand. Gentes lib. 3. cap. 110. Alenf. Capreol. Scot. Durand. P. Vasqu. 1. 2. disp. 128. cap. 5. &

S. Thom. 1. p. qu. 63. art. 3. ad 4. & art. 5. & 1. 2. qu. 77. art. 2. Caiet ibid. Ferrarien. contra Durand. Gentes lib. 3. cap. 110. Alenf. Capreol. Scot. Durand. P. Vasqu. 1. 2. disp. 128. cap. 5. &

evidentiâ, & certitudine de *modali propositione* judicant, & quamvis possent pro sua libertate de rebus ipsis judicare absolute, atque ita interdum errare, id non facerent sine aliqua culpa saltem levi, quia illa determinatio sine actu liberæ voluntatis esse non posset; talis autem actus sine aliqua culpa saltem levi non haberetur; (ecce juxta Ex. Doctorem judicium directum determinatum de re incertâ est imprudens) illa verò culpa errorem præiret, quia consisteret in ipsa voluntate sic judicandi, quæ ipsum judicium præcederet, quia illa determinatio iudicii nisi ex determinatione voluntatis fieri potest. Hæc ad litteram Ex. Doctor.

N. Demum *n. 12.* loquendo de rebus supernaturalibus, ait: Denique in alio modo credendi incertâ, quæ ordinem naturæ superent, non cogitur errare Angelus, nec potest nisi per voluntarium judicium errare; tale autem judicium errori expositum vitare debet Angelus in omni materiâ, (*N. B.*) cum facile possit; & ideo si errat ferendo *absolutum* judicium in materiâ supernaturali sibi non revelatâ, mediâtè, vel immediâtè, voluntariè errat. Hæc prudentissimus Doctor.

N. Ex ejus doctrinâ multiplex colligo argumentum. Primum est: Nullus Angelus *66.* in statu viæ ante peccatum, sive ille status viæ sit puræ naturæ, sive gratiæ, potuit circa objecta contingentia, qualia sunt cordium secreta, aut circa objecta supernaturalia errare, absque eo quod prius peccaret, quam erraret, ait P. Suar. ergo nullus Angelus in statu viæ ante peccatum, absolutum tulit, aut ferre potuit de rebus inevidentibus judicium, ut sunt omnia objecta contingentia libera: ergo suspensio omnis iudicii directi, esto moraliter certi de veritate rerum inevidentium, & appellatio ad solum evidens reflexum de probabilitate veritatis earundem rerum judicium, tantum abest ut imperfectionem sapiat, quin est perfectio conveniens naturæ Angelicæ in statu viæ ante peccatum.

N. Secundum est: Quia Angeli ante peccatum potuerunt facile nullum definitum, & absolutum de re inevidenti ferre judicium, sed unice ferre judicium reflexum evidens de propositione modalis, nempe de probabilitate veritatis ejusdem rei inevidentis; ergo si absolutum potuerunt facile suspendere, & modale facile elicere, illud suspenderunt, nè errarent; hoc elicerunt, ut sine errore judicarent: ergo suspensio iudicii absoluti de veritate rei inevidentis; & formatio iudicii modalis reflexi evidents de probabilitate veritatis ejusdem objecti inevidentis, est

æmulatio perfectionis convenientis Angelo ante omne peccatum.

Tertium est: Quia lex obligans ante operationem ad ferendum judicium absolutum *62.* de veritate, aut honestate rei inevidentis, est lex obligans ad errorem; nam omnis error est effectus, aut poena culpæ præcedentis; & ideo nullus Angelus ante peccatum potuit, juxta P. Suar. definitè judicare de rebus incertis, ne erraret: ergo implicat talis lex obligans ad ferendum semper judicium absolutum de veritate rei inevidentis.

Confirmo 1. quia lex de ferendo iudicio *N.* absoluto circa objectum inevidens præsupponit necessario peccatum, nam error respectu intellectus Angelici est poena peccati; ergo talis lex, vel non datur, ut mihi certum est; vel si datur, est lex prorsus imperfecta, & supponens peccatum tamquam causam erroris.

Confirmo 2. quia determinatio absoluti *N.* circa objectum inevidens iudicii non est, nisi à motu voluntatis inordinato, ut idem P. Suar. loquendo de Deiparâ ab omni errore immuni docuit; & nos ejus doctrinam *scilicet anteced.* illustravimus; immo hic plus docet, nam absolute asserit, quod determinatio absoluti circa objectum inevidens iudicii præsupponat necessario aliquid in voluntate peccatum saltem leve; & ideo negat, quod Angeli viatores ante peccatum potuerint determinatum ferre de veritate contingentis iudicium: sed nulla dari potest lex obligans me ad peccatum, etsi veniale, aut ad inordinatum animi motum sequendum: ergo nulla dari potest lex obligans me ante omne opus ferre determinatum de veritate operis iudicium.

Quartum est: Quia, juxta P. Suar. & *N.* meam doctrinam hic §. 3. 4. 5. non repetendam, etsi non sit contra naturæ lapsæ imperfectionem, formare iudicium probabile, aut probabilius de re incertâ, attamen in præfenti non disputamus, quin asserimus tale iudicium directum formari posse; sed disputamus, an *teneamur* tale iudicium directum ante omnem operationem formare; hanc autem obligationem à Probabilioristis assertam, mordicus hic negamus. Quare suppositâ hæc lege ab Adversariis assertâ, ita arguo ex P. Suar. Nulla datur lex obligans minus prudenter operari, quoties possum prudentius operari: ergo cum iudicium directum, etsi probabilius, de honestate materialis incertâ, comparatum cum reflexo evidenti de Probabilitate honestatis materialis, sit minus prudens, & quidem adeo minus prudens, ut, juxta P. Suar. statum Deiparæ, *P. Suar. Angelo-*

Angelorum, & Adami ante peccatum dedecet, etsi non dedecet statum nostræ naturæ per peccatum lapsæ, nequit dari lex obligans ad illud: ergo licet homo concipere possit tale iudicium directum, quod relativè ad reflexum evidens est minùs prudens, attamen ad illud obligari nequit.

N. 66. Confirmo ad hominem. Est Probabilistarum principium, quod omne minùs prudens relativè ad prudentius, non sit prudens; hoc enim principio probant non licere minùs probabilem: ergo cum iudicium directum probabilius de honestate materiali sit semper incertum, & relativè ad reflexum certum de probabilitate honestatis materialis sit minùs prudens, eo ipso supposito eorum principio, omne iudicium directum probabilius non erit prudens: sed nemo obligatur operari sub iudicio non prudenti: ergo posito eorum principio, nemo tenetur ad iudicium directum: ergo tantum abest, ut detur lex, aut necessitas formandi iudicium directum, quin cum eorum principio implicat. Addo, quòd si directum probabilius comparatur cum modali reflexo, patebit quòd directum sit semper incertum de suo objecto, seu de honestate materiali; & ad summum sit ethicè verum, & prudens: contra reflexum est semper certum de suo objecto, seu de probabilitate honestatis materialis; & est logicè verum, & prudens etiam de veritate speculativà: ergo si certò prudenter, & non tantum putativè, sed etiam speculativè operari velimus, tenemur potius sub solo modali semper speculativè vero, & certo operari, quàm sub directo, ad summum prudenter ethicè, non prudenter speculativè vero. Hoc multò magis urget eos Probabilioristas, qui de necessitate prudentiæ volunt esse veritatem logicam, nec satis practicam.

N. 67. Ex his patet, quòd si resolvendum esset quæ lex detur, an lex vetans sub solo iudicio reflexo evidenti de probabilitate honestatis materialis operari; an lex vetans sub solo directo de honestate materiali operari; tantum abest, ut dicendum esset, dari legem vetantem sub solo reflexo iudicio de probabilitate honestatis materialis operari; & obligans operari semper sub directo de materiali honestate; quin si aliqua ex illis daretur, (nulla tamen datur) dicendum necessario esset, dari legem obligantem operari sub solo iudicio reflexo evidenti de probabilitate honestatis materialis; & vetantem si ve sub solo, si ve unito cum reflexo, vetantem, inquam, operari sub iudicio directo, etsi subjectivè moraliter certo de materiali

Tom. III.

honestate operationis, quia omne tale iudicium esse potest in re falsum, & supponit peccatum, saltem leve, & sapit imprudentiam.

Dices P. Suar. loqui de errore speculativo; Neotericos autem loqui de obligatione iudicandi directè de veritate rei, antequam quis operetur, adeoque de praxi: ergo doctrina allata ex P. Suar. non est ad rem.

Sed contra 1. quia P. Suar. non tantum removet omnem errorem speculativum, sed etiam omnem practicum ab Angelis viatoribus ante peccatum; ipsdemque rationibus probat Angelos ante peccatum nullius erroris capaces fuisse; & ut ostendat, qualiter Angeli in statu viæ ante peccatum gerere se poterant circa objecta sibi non evidentia, absque eo quod errarent, declarat modum fuisse, suspendere omne de re inevidenti iudicium absolutum, & ad solum reflexum evidens de probabilitate ejusdem rei inevidentis iudicium appellare; hoc autem est idipsum, quòd nos pro viribus tuemur: ergo allata doctrina est prorsus ad rem; nec ovum ovo similis, ac nostra sententia doctrinæ P. Suar.

Contra 2. quia ostenso modo, quo Angeli ante peccatum in statu viæ se gerebant circa objecta non evidentia, ea intelligendo, facillimum est ostendere qualiter ex solo iudicio reflexo evidenti de probabilitate procedere poterant ad honestè operandum. Fac enim ut Angelus in statu viæ perseverasset aliquo tempore in gratiâ; poterat unus iudicans evidenter probabile, quòd alter esset peccaturus, procedere ad imperandam honestam volitionem consilij, ut alteri cognito certò probabiliter peccaturo succurreret. Ecce in hoc casu à solo iudicio reflexo de probabilitate peccati futuri dirigeretur ad honestissimam volitionem consilij. Immo fac ut Angelus certò probabiliter iudicaret se peccaturum, nisi omitteret colloqui cum altero. Ecce in hoc casu ex certo iudicio de probabilitate sui peccati orituri ex confabulatione dirigi poterat ad honestam omissionem ejusdem confabulationis.

§. II.

Modus quo in statu Patriæ Angeli, & Beati iudicent de objectis sibi incertis.

SUMMARIUM.

Considero Angelos, & Beatos in Patriâ, n. 71. Cur Divina essentia dicatur Speculum voluntarium? n. 72.

Est indubitatum Angelis, & Beatis novas accedere

Aa

dere

dere illuminationes, n. 73.

Plura futura contingentia libera Angeli, &

Beati non nisi probabiliter cognoscunt, n. 74.

Status questionis, n. 75.

Nullus datur error in mentis Beatorum, ibid.

Hinc oritur difficultas, qualiter objecta futura libera cognoscant, n. 76.

Platellius, & P. Echeverria docent, Beatos non

nisi modaliter de incertis judicare, non dire-

cte, & ideo nunquam errare, n. 77. 78.

Idem ait P. Suar. n. 79.

Hinc inferitur tantum abesse, ut non liceat dubia
resolvere tantum modaliter, & sub solo moda-
li operari, quin talis resolvendi modus competit
statui beatifico, n. 80.

Si non est illicitum imitari modum operandi
Angelorum in statu Patria, nostra doctrina
de solius reflexi iudicii sufficientia est verissi-
ma, n. 81.

Ostendo qualiter Angelus Tutelaris moveatur ex
solo modali iudicio ad honeste succurrendum
suo Clienti, n. 82. 83.

An Angeli cognoscant certo cordium secreta? n.
84. 85.

Ferrariensis ait, veram beatitudinem differre a
falsa ex parte intellectus, n. 86.

Cur in hac vita dari nequeat perfecta beatitudo?

Respondet S. Thom. quia excludit omne ma-
lum, & ignorantiam, n. 87.

Explico quomodo verum sit, quod Beati proce-
dant conjecturaliter, n. 88. 89.

Salvari nequeunt hec duo in Beatis, quod mate-
rialiter errare nequeant, & quod plura in-
certa cognoscant, nisi dicatur, Beatos soli ju-
dicio modali de probabilitate nisi, suspensio om-
ni iudicio directo, n. 90.

N.
71. Consideravi Angelos in statu viae ante
peccatum circa objecta ipsis non evi-
dencia, sive ille status esset purae naturae, si-
ve gratiae: modo considerandi veniunt An-
geli, & Beati, ut sunt in Patria, qualiter in
judicando, & operando se gerant circa ob-
jecta ipsis non evidentia.

N.
72. Certum 1. est, quod Angeli, (loquor
semper de bonis) & Beati Deum intuitivè
videant, ut est in se, aliàs beatitudine non
fruerentur; an autem omnia objecta creata,
& creabilia, an aliqua tantum, & quae ex
illis in Deo cognoscant, non est res hujus
instituti, praesertim cum Theologi in hujus
dubij resolutione non nisi conjecturaliter
procedant; uni limitantes, alij extenden-
tes eorum objectorum notitiam juxta pro-
portionem status gloriae, quem possidet Bea-
tus: Ut enim, ait D. Thom. in 3. p. qu. 10.
cuiuslibet Beato convenit videre omnia ad se
spectantia: Cum autem Beati inter se adeo

differant; hinc etiam eorum visio, & ideo
Divina essentia intuitivè a Beatis videtur, dici
solet Speculum voluntarium: Speculum, quia
tenus Beati non minus clarè vident in Deo
ea objecta, quam in se ipsis: voluntarium,
quatenus à Dei libito pendet suam essentiam
plus, aut minus manifestare Beatis. Vide Mag.
Magistr. in 2. dist. 11. S. Bonav. in 3. dist. 5. S. Thom.
4. Ferrar. lib. 3. contra Gent. cap. 59. P. Suar.
tom. 1. in 3. p. dist. 26. sect. 4. Magistr. in 2. p. dist.
disp. 6. n. 249. M. Conet. tom. 1. tr. 2. dist. 1. art. 7.
& alios passim.

Certum 2. Angelos, & Beatos praeter ea, N.
quae in Verbo cognoscunt, plura extra Ver-
bum, vel medià revelatione vel notitià evi-
denti, sive intuitivè, sive abstractivè, cog-
noscere, ita ut capaces sint augere, aut mi-
nuere notitiam; & vel ignorare, quod antea
noverant, vel noscere, quod antea ignora-
verant. Novas enim Angelis, & Beatis ac-
cedere illuminationes, & notitias est indu-
bitatum ex Daniele cap. 10. & ex die iuda-
cij illis incerto, alijsque pluribus eis occul-
tis.

Certum 3. non omnia, quae Angeli, & Beati N.
extra Verbum cognoscunt, cognoscere evide-
ter, sed plura non nisi conjecturaliter, sive
virtualiter tantum, sive formaliter discurrant,
quod perinde est: etenim plura objecta sunt
illis occulta, nec enim omnia illis revelan-
tur; ergo horum evidentiam habere ne-
queunt; ergo ea non nisi conjecturaliter
cognoscunt. Lege TT. citatos, & Cardin.
de Aguir. tom. 1. in S. Anselm. disp. 8. ubi
negat, quod objecta supernaturalia possint
evidenter cognosci à lumine intellectus crea-
ti. Porro, quae conjecturaliter cognoscunt,
sunt futura contingentia libera, seu quae à
libera procedunt voluntate; haec enim non
nisi conjecturaliter inferunt, & semper ma-
nent illis incerta, eo modo, quo medicus
(ait P. Comptonus tom. 2. tr. 7. dist. 9. n. 76. P. Cyp.
ex S. Thom. 1. p. qu. 57. art. 3. & art. 4. & S. Tho-
mas Caetano ibid.) ex pulsatione tactus, im-
punctione urinae, & ex alijs indicij praecognos-
cit sanitatem infirmi. Cum autem Angeli
diuturnà observatione sciant, quae objecta
ut plurimum hominum voluntates inclina-
re soleant, & quae ad tentationes, & occu-
siones subsequantur, praedicta futura con-
jectantur. Neutiquam autem Angelus per
suae naturae vires, secluso Divinae revelationis
lumine, certo, & infallibiliter, & ut in se sunt,
praecognoscere potest futura contingentia li-
bera, & cordium secreta, ait S. Thom. l. c.
ut omnibus TT. extra dubium est: igitur
ea non nisi conjecturaliter, seu probabiliter
cognoscere possunt, ita ut illis maneat sem-
per

per incerta ipsa veritas : et si de secretis cordium aliter senserit Scotus in 2. *dist. 9. qu. 2.* & *Mastr.* in 2. *dist. 2.*

N. Hinc oritur dubium, cujus resolutio erit recens, & irrefragabilis pro nostra conclusione ratio, qualiter Angeli boni, & Beati se habeant in statu beatifico circa objecta ipsi occulta? vel enim illis directè assentiuntur, ex. gr. dicunt, Petrus in tali occasione peccabit? hoc autem dici non potest; sic enim capaces essent erroris, qui intellectum statu beatifico gaudentem dedecet;

P. Vasq. quidquid dicat P. Vasqu. *tom. 1. in 1. 2. in Indio verb. Beati.* (quem tamen indicem sæpe evolutum reperi falsum) ubi ait, *Beatos errare posse circa aliquas veritates creatas*; hoc tamen nullatenus placet: vel non assentiuntur directè, sed reflexè, & modaliter? tunc autem ostendendum erit, qualiter Angeli, & Beati de probabilibus judicent.

N. Confirmatur; quia si dicatur, quòd Angeli, & Beati nulli objecto, circa quod conjecturaliter procedunt, assentiuntur directè, ex. gr. quo anno casurus sit iudicii dies, quo die Petrus moriturus, quo Pontifices in D. Petri Cathedrâ sessuri, & similia, quæ omnia sunt contingentia, & vel à solâ Dei libertate, vel etiam ab humanâ libertate dependentia: si, inquam, dicatur, quòd Angeli, & Beati circa hæc objecta sibi non evidentia omnem semper directum, seu absolutum de veritate assensum suspendant, & unicè ad modale certum, & evidens de veritatis probabilitate, aut probabilioritate iudicium appellent, hoc pacto: Probabile, aut probabilius est diem iudicii anno A, casurum: Probabile, aut probabilius est Petrum die A, moriturum: Probabile, aut probabilius est centum Pontifices in D. Petri Cathedrâ sessuros: Probabile, aut probabilius est Paulum in tali occasione peccaturum: eo ipso sequitur, quòd Angeli, & Beati libera contingentia non judicent probabiliter, seu conjecturaliter, sed illa judicent evidenter; nam omnes illæ modales sunt evidentes: ergo falsum erit, quòd Beati, & Angeli plura, quæ extra Verbum cognoscunt, non nisi conjecturaliter cognoscant. Vel si hoc verum est, eo ipso necessarium erit admittere in Angelis, & Beatis iudicium absolutum, seu directum subiectivè probabile, aut probabilius, ut salvetur, qualiter circa ea objecta contingentia libera conjecturaliter procedant.

N. P. Platelius in sua totius Cursus Theologici accuratissimâ Synopsi brevissimè rem totam dirimit *cap. 6. §. 2. de Angelorum scientiâ n. 378.* dicens: Angeli non possunt

Tom. III.

falli in ijs, quæ cognoscunt evidenter; possunt tamen in alijs: bonos tamen ab omni errore immunes reddit status beatificus, cui repugnat omnis miseria, & defectus; unde non judicant de probabilibus absolute, sed solum modaliter de ipsâ probabilitate. Hæc P. Platel. qui in terminis dicit, quod nos; nempe Angelos bonos errare non posse, & ideo de probabilibus non judicare absolute, seu directè; sed modaliter, seu reflexè de probabilitate.

Id ipsum apertè docet P. Doctor Echeverria in Universit. Complut. Primariæ Cathedralæ Theologicæ Moderator, vir omni virtutum, & doctrinæ numero absolutus; qui *disp. 6. de Angelis cap. 3. n. 23.* hæc habet: Angeli, & Beati non judicant de probabilibus absolute, sed tantum modaliter de ipsâ probabilitate. Sicut S. Thom. *1. p. qu. 58. S. Th. art. 4.* docet de compositione, divisione, & discursu, quòd intellectus Angeli compositionem, & divisionem enuntiationum intelligat, sicut & ratiocinationem syllogismorum. Intelligit enim composita simpliciter: & mobilia immobilibus: & materialia immaterialiter. Quod est, ait P. Echeverria, reflexè evidenter cognoscere, ut objectum, probabilitatem objectivam, & formalem eorum, quæ sunt directè probabilia: seu certò, & evidenter, nec solum probabiliter agnoscere, quòd tale objectum, & iudicium directum sit probabile: & citat se ipsum in *Tract. de Consc. & Opin. prob. ubi de conscientia directâ, & reflexâ, & de iudicio practico;* & P. Terillum. In idem ipsum, quantum colligere potui, venit alter ejusdem celeberrimæ Universitatis Complutensis, Magister, & Doctor, P. Vincentius Ramirez, vir acutissimi ingenij, & summe studiosus; hic enim ne quidem in dubium vocare audeat nostram doctrinam, adeo ejus ingenio hæc veritas arridet. Quod signum mihi est nostram doctrinam esse luce clariorem, cum tam celebres Magistri, qui tamquam veritatis oracula coluntur, in eam sponte veniant.

Demum id ipsum ante omnes docuerat P. N. Suar. loco à me §. antec. ponderato. Si enim omnem errorem ab intellectu Angelorum in statu viæ ante peccatum, & negat eos ulli objecto probabili directum præstitisse assensum; quinimmo nec potuisse ulli eorum absolute assentiri, sed tantum modaliter; quanto magis hoc dicet de Angelis in statu beatifico, quòd cuique objecto probabili non nisi modaliter, seu per iudicium reflexum evidens assentiuntur ipsi probabilitati veritatis, numquam tamen per ullum iudicium absolutum, seu directum subiectivè

Aa ij

pro

probabile, aut probabilius ipsi veritati?
 N. 80. Hæc doctrina supposita ut certâ, nempe quod omnis error statum beatificum Angelorum, & Beatorum dedecet, ita arguo: Certum ex omni bonâ Theologiâ est, quod Angeli, & Beati plura probabilia extra Verbum cognoscant, qualia sunt omnia contingentia libera, & cordium secreta; sed hæc non cognoscunt ferendo absolutum, seu directum de illis objectis iudicium, sic enim sæpe materialiter errarent; ergo non nisi modaliter, contenti solo iudicio reflexo evidenti de probabilitate veritatis eorum objectorum: ergo tantum abest, ut non liceat resolvere dubia modaliter, seu solum reflexe per probabilitatem, & operari sub solo iudicio modaliter de probabilitate veritatis incertæ, quin talis intelligendi, & operandi circa objecta probabilia modus est dos status beatifici competens Angelis, & Beatis in Patriâ.

N. 81. Confirmo 1. Imitari modum intelligendi, & operandi Angelorum, & Beatorum non potest esse illicitum: sed modus intelligendi, & sub eo operandi Beatorum, & Angelorum circa objecta probabilia est suspendere semper omne iudicium absolutum, esto subiectivè probabilius, imò moraliter certum; & unice appellare ad iudicium modale evidens de objectiva probabilitate ejus objecti probabilis: ergo talis modus suspendendi semper omne iudicium directum, etsi moraliter certum, circa objecta probabilia, & appellandi unice ad modale reflexum evidens de probabilitate eorum objectorum non potest esse illicitus; quin est summè prudens, licitus, & perfectus, & tapit modum intelligendi, & operandi status beatifici.

N. 82. Confirmo 2. Potest Angelus Custos concipere iudicium evidens modale de probabilitate, quod suus Clientis sit in tali occasione lapsurus, hoc pacto: *Est mihi evidenter probabile, aut probabilius, quod meus Clientis sit in tali occasione casurus*; suppono autem casurum non esse: in hoc casu movetur Angelus ad peculiarem tutelam Clientis sui, cogniti à se probabilius casuri, qui tamen casurus non est: modò quæro, an Angelus iudicet honestum esse succurrere suo Clienti casuro; an verò iudicet tantum honestum esse succurrere suo Clienti cognito à se evidenter probabilius casuro? Non primum, illud enim iudiciū est falsum: ergo etiam materialis honestas est falsa; si enim falsum est, quod suus Clientis sit casurus, falsum quoque est, quod sit honestum succurrere suo Clienti tunc casuro: ergo secundum: ergo Angelus tunc ad

honestam succurrendi volitionem procedit, non sub iudicio absoluto de materiali honestate actus secundum se, & ut est in se; si enim Clientis non est casurus, honestas supponens eum casurum est ficta, & falsa; sed procedit ad honestam formaliter succurrendi volitionem sub solo iudicio reflexo evidenti de probabilitate; quod Clientis sit casurus: ergo si Angelis licet suspendere omne iudicium absolutum de materiali veritate rei, & de materiali honestate actus, & appellare ad solum modale evidens de probabilitate veritatis materialis honestatis actus, & sub solo illo iudicio reflexo honestè formaliter operari; cur hominibus ad errandum valde propensis, ut sibi ab omni errore temperent, non licebit suspendere omne absolutum iudicium de materiali veritate rei, & de materiali honestate objecti, & actus, & concipere solum modale evidens de probabilitate materialis veritatis, & honestatis objecti, & actus; & sub hoc solo iudicio reflexo honestè formaliter operari?

Confirmo 3. Celebris est comminatio An. N. gelica, *Curavimus Babylonem, & non effluat* 83. *ta; derelinquamus eam.* Ecce Angeli à cognitione certâ de non sanitate Babylonis processerunt ad honestam ulterioris assentientie omissionem: ergo etiam poterit Angelus certò probabiliter iudicans suum Clientem peculiaribus suis favoribus restituendum, ex motivo, quod culpa non fiat gravior, velle omittere eam particularium favorum donationem. Sanè in hoc casu Angelus ad honestam negationem eorum favorum, non regulatur à iudicio absoluto, quod suus Clientis sit peccaturus, sed à solo modaliter de probabilitate, quod sit casurus: ergo si Angelis licet honestè formaliter operari, five positivè, five negativè sub solo iudicio certo reflexo de probabilitate honestatis materialis actus, aut omissionis actus; cur hoc non licebit hominibus eò magis ad errorem pronis, quò plus à naturâ, à prudentiâ, & à statu beatifico Angelorum, & Beatorum distant?

Confirmo 4. ex Mastr. in 2. disp. 2. q. 8. N. ubi quærens, an Angelus naturaliter cog. 84. noscat, aut saltem cognoscere possit cordium Mastr. secreta, ait n. 231. quod omnes Theologi concedant posse ex quibusdam signis externis cogitationes aliorum, & affectus internos, cognitione conjecturali, & dubiâ. Dubium tantum est de cognitione certâ, & intuitivâ naturali, si cordis secreta nullo modo externius prodantur. Et q. 9. n. 302. ait, nullum absurdum, immò maximè consentaneum naturæ Angelicæ, quòd, per se loquendo, nec fallere,

P. Arria. fallere, nec falli possit, ut tenet P. Arriaga, & P. Becanus *qu.* 14. & alij, sed solum per accidens. Ex qua doctrina iterum arguo: Non potest salvari hæc cōgruitas, quod Angeli circa libera contingentia nec fallere, nec falli possint, nisi recurratur ad iudicium reflexum; si enim eliciant directum, eo ipso circa sibi occulta fallere, & falli possunt: ergo hæc naturæ Angelicæ perfectio, quod circa sibi occulta nec fallere, nec falli possint, non salvetur nisi per iudicium reflexum evidens de probabilitate rei contingentis; siquidem eorum naturæ evidentia rei liberæ contingentis non congruit.

N. Confirmitur 5. quia si verum est, quod Angeli ex perfectione propriæ naturæ, nec falli, nec fallere possint, ut dixi ex Mastr. *n.* 299. & ex aliâ parte, si vera est Scoti sententia apud Mastrum *l. c. n.* 16. (non autem 216. ex errore Typographi) docentis malum Angelum arguitivè tantum, & non directè novisse mysterium Incarnationis, non possunt hæc duo combinari, nempe, quod arguitivè tantum, & quod sine errore cognoscant, nisi recurratur ad iudicium reflexum evidens de objectivâ certitudine morali, aut probabilitate, suspensio directo. Quod idem dico de alijs mysterijs Prædestinationis, Reprobationis, & similibus. Quæ enim, quomodo mali Angeli non errarint, etiam quando peccaverunt? quomodo contingentia cognoscant? non per iudicium directum evidens, quia illis non convenit scire libera; ergo per probabile; sed hoc dici non potest, nam sæpe materialiter errarent, quod est contra hypothesim; ergo per solum evidens reflexum. Vide Mastr. *l. c. disp.* 2. *qu.* 10. & *disp.* 3. *qu.* 2.

N. Confirmitur 6. ex Ferrar. *lib.* 3. contra Gentes *cap.* 26. dicente, quod vera beatitudo consistat in falsâ ex parte intellectus; ergo sicut voluntas Beatorum, & Angelorum nequit vellet, quod directè cognoscitur ut materialiter malum, ita nec eorum intellectus tendere in id, quod cognoscitur capax falsitatis, seu materialiter errare; sed si de contingentibus, & incertis iudicarent absolute, tenderent sæpe in materialiter falsum, & materialiter errarent; ergo Angeli, & Beati nequeunt iudicare absolute de objectis incertis, sed tantum modaliter, concipiendo iudicium evidens reflexum de probabilitate objectorum incertorum.

N. Confirmitur 7. ex S. Thom. *1. 2. qu.* 5. *art.* 3. ubi probat dari non posse perfectam in hac vitâ beatitudinem, quia cum beatitudo sit perfectum, & sufficiens bonum, omne malum excludit, & omne desiderium implet; in hac autem

tem vitâ non potest omne malum excludi; multis enim malis præsens vitâ subiacet, quæ vitari non possunt, & ignorantia ex parte intellectus; ergo, juxta S. Thom. beatitudo excludit omnem errorem materiale: sed admissio, quod detur lex naturalis obligans iudicare absolute de materiali veritate rei incertæ, visæ subjectivè probabilioris, aut moraliter certæ, non excluditur, immò sæpe includitur error materialis: ergo vel beatitudo non excludit omne malum etiam intellectuale; vel si excludit, ut certum est, implicat lex obligans iudicare absolute de objectis incertis.

Ad rationem dubitandi, & ejus confirmationem paulò antè allatam, dico, quod adhuc negato in Angelis, & Beatis iudicio absolute subjectivè probabili, aut probabiliori; & posito solo modali evidenti de probabilitate, aut probabilitate veritatis formalis iudicii directi, & materialis veritatis objecti, salvetur, qualiter Angeli, & Beati conjecturaliter procedant circa objecta sibi non evidentia; quatenus etiam dictum propositionis sit evidens, attamen evidens non est res dicta: nam evidens est ex. gr. quod probabilis sit Petrus in tali occasione peccaturum, non tamen evidens est res dicta, seu quod sit peccaturus: ergo etiam modus sit evidens, non tamen evidens est veritas iudicii directi eo modo affecta.

Ratio est; quia hæc veritas, Petrus est peccaturus, nititur præmissæ probabilis, ut patet ex hoc syllogismo, Petrus in minori occasione constitutus peccavit: sed qui peccat in minori, multo magis peccaturus erit in maiori: ergo Petrus in maiori occasione constitutus peccabit. Ecce minor est tantum probabilis; ergo etiam conclusio, quæ est modificata à dicto evidenti; nempe est evidenter probabilis, quod Petrus in maiori occasione constitutus sit peccaturus. Cum ergo hoc iudicium reflexum, & evidens Angelorum, aut Beatorum, Probabilis est Petrus in tali occasione positum peccaturus, contineat veritatem quoad rem dictam, non nisi probabilem, aut probabilioris ipsis Angelis, & Beatis, eo ipso salvetur, qualiter utrique conjecturaliter procedant in pluribus, quæ extra Verbum cognoscunt.

Duo enim in Angelis, & Beatis salvanda sunt: unum, quod nec errent, nec errare modaliter possint, quia omnis error statim beatificum dedecet; alterum, quomodo extra Verbum plura non evidentia cognoscant. Hoc autem salvari non potest per iudicium directum, etiam subjectivè probabilis, aut moraliter certum; immò per tale absolutum iudicium destruitur primum: Aa iij utrum.

utrumque autem salvatur admissio solo iudicio modali evidenti de probabilitate veritatis ipsius iudicii directi: nam immunitas ab omni errore salvatur per suspensionem omnis iudicii directi: conjecturalis cognitio salvatur per iudicium modale, quod licet sit evidens quoad modum, seu quoad probabilitatem veritatis, non tamen quoad rem, seu quoad veritatem de iudicio directo affirmabilem. Ut autem Beati conjecturaliter procedant, satis est, ut evidens de objectivâ probabilitate veritatis opinionis subjectivè probabilis iudicium ferant; non autem necesse est ut subjectivè adhæreant, & assentiantur ipsi opinioni probabilis.

S. III.

Selectissima P. Suarez doctrina de modo intelligendi Adami in statu innocentia ante peccatum.

SUMMARIUM.

An Adam ante peccatum decipi potuerit? n. 91. DD. tuentes, n. 92.

S. Bonav. oppositam sibi opinionem vocat satis probabilem, ibid.

Rationes Doctorum affirmantium, n. 93.

Ignorantia pena culpe ex S. Aug. n. 94.

Sententia negantis DD. ibid.

Status naturæ integræ ex pluribus donis conflatur, n. 95.

Error non est contra conditionem status puræ naturæ, ibid.

P. Suar. negat, quod Adam potuerit formare iudicium puræ opinativum, sed solum reflexum, n. 96. 97. 98.

Exponit acutè qualiter per iudicium evidens reflexum dici possit res cognosci probabiliter, ibid.

Ait, quod iudicium directum probabile deceat ad summum perfectionem status naturæ lapsæ, n. 99.

Ait ad omnem usum prudentiæ rerum agendarum satis esse iudicium de probabilitate, nec necessarium directum; in quo casu homo habet opinativum iudicium objective, non formaliter, ibid. & n. 100. 101. 102.

N. 91. **I**terum ex P. Suar. aliqua discenda, & dicenda; nemo enim est, qui ignoret, quo in pretio ejus sapientia ubique habeatur. Igitur in Tomo de Opere sex dierum lib. 3. cap. 10. quaerit, an Adam ante peccatum adeo perfectam nactus sit cognitionem, ut in naturalibus minimè decipi potuerit? Supponit autem tum, quod ad consummatam intellectus perfectionem non satis sit cognoscere

verum, sed etiam necesse sit vitare falsum, quia bonum ex integrâ causa: tum quod per naturalem cognitionem veniat omnis illa, quæ per lumen, & vires naturales haberi potest; etiam non sit de rebus necessariis, aut universalibus. Post hæc duplicem refert opinionem.

Prima affirmat, quod homo ante peccatum circa rem aliquam sibi non evidentem concipere potuerit iudicium falsum; quam opinionem S. Bonav. in 2. dist. 23. art. 2. 99. vocat satis probabilem, etiam illi non adhiereat. Ratio est; quia Adam per scientiam naturalem sibi insulam non omnia evidenter cognoscebat, præsertim contingentia futura, vel aliqua etiam existentia, sive loco absente, sive in cordibus occulta; & de his aliquod iudicium ferre poterat; ergo falli poterat: etenim ea, quæ non evidenter cognoscuntur, sunt per signa, & conjecturas valde verosimilia, & sæpe homini necessarium est, ut aliquid prudenti, vel debito modo agere, sicut nunc quilibet prudens facit; ergo idem facere potuit Adam. Probatur consequentia; quia in illo actu nulla est imprudentia, nec proprius defectus, cum sit modus operandi tali naturæ accommodatus, & moraliter necessarius, nec meretur nomen deceptionis, aut erroris, ut iudicat S. Bonavent.

Quocirca non solum in practicis, & particularibus, sed etiam in speculativis potuit homo in illo statu esse capax opinionis, quæ rerum essentias, & proprietates non semper evidenter cognosceret, sed multa probabiliter de rerum proprietatibus conjecture posset; ergo etiam posset opinativum de illis proferre iudicium; ergo interdum falli, quia hoc iudicium falsitati expositum est. Accedit, quia de facto Heva à Serpente decepta est, ut ipsa falsa est, Gen. 3. dicens: *Serpens deus est, cepit me.* Immo, quod Adam deceptus fuerit putando se non peccaturum graviter, de cibo vetito ederet, ne uxori repugnaret, aut displiceret, significat S. Augustin. lib. 14. de Civit. cap. 11. & lib. 11. Genes. ad litt. cap. ult. & sequitur Mag. in 2. dist. 22. Idem firmari potest exemplo Deiparæ, quæ decepta est, existimans Filium esse in comitatu, ut dicitur Luc. 2. ergo non est mirum, quod Adam, & Heva decipi potuerint.

Altera negat, & eam tenet D. Thom. 1. 2. q. 94. art. 4. & q. 18. de Verit. art. 6. & in 94. 2. dist. 23. q. 2. art. 3. S. Bonav. l. c. Durand. 5. Tit. in 2. dist. 22. q. 3. & videtur sententia Divi Augustini. lib. 3. de Libero arbit. cap. 18. dicens: *Approbare falsum pro veris, ut error sit, vitare,*

vitæ, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati: & lib. 1. Retract. cap. 9. ait, ignorantiam, & difficultatem esse pœnas primi peccati; nulla autem ignorantia deterior est, quam error: & in Enchyridio cap. 16. & seqq. ex professio probat, quemlibet etiam in materia levissimâ errorem deputandum esse inter hujus vitæ mala, & ad quamdam miseriam pertinere, ut ait cap. 21. & lib. 14. de Civit. cap. 10. dicit, non interveniente peccato nullum malum potuisse in primis hominibus inveniri: & lib. 11. Gen. ad litt. cap. 30. asserit Hevam non fuisse à Serpente decipiendam, nisi jam per superbiam peccasset; ergo supponit quod ante peccatum decipi non potuerit. Concludit P. Suar. n. 3. hanc sententiam esse veram, & tenendam, eamque à Modernis communiter defendi.

P. Suar.

N. 95. Ut autem eam probet, supponit Deum non creasse hominem in puris naturalibus, (ut vocant) nec solum cum illa perfectione, quæ homini in hoc vitæ statu connaturalis est, & simpliciter loquendo, potestatem naturalem hominis non excedunt, ut sunt scientiæ per accidens infusæ; sed etiam, quod Deus plures perfectiones Adamo addiderit, ob quas dicitur eum creasse in statu naturæ integræ, vel originalis justitiæ; qui status ex multis donis confurgit, inter quæ unum est immunitas ab omni errore; hæc enim revera naturalem hominis in purâ naturâ existentis conditionem, & virtutem superat: & ideo T. T. in Tract. de Gratiâ communiter docent, quod homo in purâ naturâ conditus, & suis viribus relictus non possit non decipi aliquando, non solum in practicâ, sed etiam in speculativâ cognitione. Ratio est; quia in ipsâ scientiarum naturalium materiâ plura sunt, quæ non demonstrantur evidenter solo naturali lumine, & judicium opinativum, quod circa illa formatur, de se est expositum falsitati: ergo fieri non potest, ut qui sapius hoc modo judicat, non decipiatur aliquando. Nec juxta naturalem hominis conditionem est in his omnibus, quæ evidenter non cognoscuntur, abstinere à judicio. Similiter supponit deceptionem dupliciter in homine contingere posse: vel involuntariè simpliciter, vel aliquo modo voluntariè, ut accidit, cum homo voluntariè fert judicium de re, quam novit esse incertam, quæ deceptio facilius vitari potest.

N. 96. Probat autem ex S. August. quia omnis deceptio est malum hominis, & pertinet ad malum pœnæ, quæ ante culpam non infligitur; ergo ubi nulla esset culpa, nulla fuisset deceptio. Addit, quia si homo non peccaret, non pateretur mala pœnæ in corpore,

ut est mors, & similia; ergo multò minùs mala pœnæ pateretur in animâ, quæ ex se maiora sunt, & inter illa est deceptio.

Punctum difficultatis est, quale fuerit hoc donum, vel quomodo Deus præservaverit hominem, ne umquam in statu innocentie deciperetur? Respondet n. 7. quod præter habitualia dona scientiæ, & specierum infusarum necessaria fuerit peculiaris Dei providentia, quâ in omni occasione errandi homo à deceptione præservaretur. Quod magis declarat in argumentorum solutione.

Ubi n. 8. ait: Negatur simpliciter minor propositio, quod Adam potuerit sive firmum, sive infirmum præbere judicium de re incertâ, & per solas conjecturas verosimili apparente: nam in omni simili occasione poterat summâ facilitate judicium de re ipsâ continere. Inquit, de re ipsâ; quia aliud est judicare rem ipsam, an ita sit, vel non sit; aliud judicare apparentiam, seu verosimilitudinem, quam conjectura faciunt, & in quo gradu, id est, an faciant rem probabilem, vel probabiliorem, vel an inducant suspicionem levem, aut gravem, aut vehementem. Nam in isto posteriori modo judicari potest ex conjecturis sine periculo erroris, quia tunc judicium non est conjecturale, sed evidens. Nam licet conjecturæ non faciant evidentiam rei, faciunt nihilominus evidentiam illius extrinsecæ denominationis, quæ ab ipsis quasi formaliter redundant in rem, quæ probabilis, aut verosimilis denominatur. Hoc ergo posterius judicium habere posset homo de hujusmodi rebus in primo statu, quia in illo nullum est erroris periculum; non tamen definitum judicium proferre de veritate ipsâ, quia in illo semper est periculum deceptionis. Hæc P. Suar. ad verbum.

Et n. 9. ait: Ad probationem in contrarium, quia interdum tale judicium potest esse moraliter necessarium, & naturæ accommodatum, respondet in naturâ lapsâ fortasse ita esse; ante lapsum autem non ita fuisse. Quia ad omnem usum prudentiæ, & rerum agendarum in rigore sufficit prius judicium de rei probabilitate, verosimilitudine, aut suspitione; & ita cessat necessitas alterius judicii de re ipsâ secundum se; aliunde etiam habebat homo in illo statu tantam animi compositionem, & moderationem, ut nihil ex preveniente passione vellet; & ideo rectâ ratione ductus facillimè posset per voluntatem frænare intellectum, ut numquam in simile judicium opinativum prorumperet; unde in eo statu haberet homo opinativam cognitionem objectivè, ut ita dicam, non formali-

formaliter; id est, cognosceret, quod opinabile est, & in quo gradu tale sit, non tamen judicando opinaretur. Hæc etiam ad verbū.

N. 100. Objicit sibi, hoc modo declarari quidem potuisse hominem non errare, non tamen probari, quod non potuisset decipi, quia semper liber erat ad illud judicium proferendum, si vellet. Subdit: Respondeo in primis, cum homo esset prudentissimus, & bene ordinatus, & alioquin tale judicium sibi non esset ad res agendas, vel cognoscendas necessarium, essetque expositum falsitati, hoc videri sufficiens, ut numquam posset talem actum habere, quia esset periculo alicujus mali sine justā causā se exponere; quod esset contra perfectionem illius status; immo non videtur carere aliquā levi culpā, quæ in illo statu esse non posset, ut infra dicemus. Hæc quoque ad verbum.

N. 101. Post hæc n. 100. negat Evam fuisse ante peccatum deceptam; quod idem dicit de Adamo, & multo magis de Deiparā, remittendo se ad ea, quæ dederat tom. 2. in 3. p. disp. 19. sect. 6.

N. 102. Tandem à n. 12. movet dubium, an primum hominis in statu innocentie peccatum potuerit esse hæresis, aut alius error? etiam autem hoc cum P. Molina disp. 26. de Opere sex dierum affirmare videatur, attamen absolute ait, quod primum illud hæresis, aut judicii temerarii peccatum ducere originem suam debuisset ab aliquo inordinato voluntatis affectu, tanquam a causā, à quā hæresis, aut error ille processisset; atque adeo semper verum esset, quod in statu innocentie omnis error voluntarius (nam involuntarius in eo statu locum habere non poterat, quia nullus in eo statu locus erat ulli mentis subreptioni) voluntatem prius ab aliquo inordinato affectu vitiatam præsupposuisset. Lege P. Suar. à n. 12. ad 16. Unum tacere nolo, nempe, quod ait n. 14. ubi explicans, qualiter contingat voluntarius in intellectu error, dicit tribus modis contingere, nempe, absque ulla culpā, cum culpā veniali, & cum mortali. Primo modo potest nunc homo errare speculative in judicio probabilis opinionis, in quo nihil peccat, (N.B.) quando prudenter se gerit, quamvis contingat judicium in re falsum esse &c. Hæc, & alia Exim. Doctor.

§. IV.

Scholia in allegatam ex P. Suar. doctrinam, qualiter Adam in statu innocentie circa sibi incerta processerit.

SUMMARIUM.

Scholia, n. 103.

Falsum deteriorat intellectum, n. 104.

Ex S. Bonav. opposita proprie est probabilis, nec omnis propria est moraliter certa, n. 105.

Etsi assensus directus opinionis sit iuxta statum hominis, & prudentiam humanam, attamen longe prudentius est abstinere, n. 106.

Error in presenti statu supponit aliquam culpam ex S. Aug. n. 107.

Communis sententia negat, quod Adam ante lapsum errare potuerit, n. 108.

Homini in parā naturā non convenit immunitas ab omni errore, n. 109.

Connaturale est homini errare aliquando, est melius sit non errare, quoties potest, ut patet, quoties non datur evidentia, ib.

Qualiter juxta hominis lapsi naturam sit, tum errare, tum non errare, n. 110.

Explico, ib. & n. 111.

Mirabilis harmonia nostre doctrinæ, ib.

Anti-Probabilis necessitati ad errorem, ib.

Non datur obligatio errandi voluntarii, et prudenter, ib.

P. Suar. ut liberet Adamum in statu naturæ integre ab omni errore circa incerta, recurrit ad suspensionem judicii directi, & appellat unice ad evidens reflexum, n. 112. 113.

Etsi prudenter operetur, qui format judicium directum subjective probabile; at longe prudentius, qui illud suspendit, & appellat unice ad modale evidens, n. 114.

Si juxta P. Suar. in statu justitie originali ad omnem usum prudentie rerum agendarum satis est judicium modale sine directo, multo magis in statu naturæ lapsæ, n. 115.

Homini nec vetatur judicium modale, nec precipitur directum; sed utrumque permittitur, ibid.

Sicut facilitas suspendendi judicium directum provenit à summā animi moderatione; ita inclinatio ad illud ab animi immoderatione, n. 116.

Homo in statu naturæ integre nequibat concepere judicium directum incertum; potest in statu naturæ lapsæ, ut non debet, n. 117.

Error insitus opinioni probabilis, etsi sit voluntarius, est sine culpā, ait P. Suar. n. 118.

Antequam ex hac selecta doctrinā nos. N. proponam rationes, me judice, insolubiles 103. proponam contra fidem à Neotericis Probabilioristis legem, quā volunt teneri hominem ad directum semper, idque firmum de veritate opinionis, & honestate operationis ferendum judicium, ut prudenter operetur, aliqua scholia in allegatam Eximii Doctoris doctrinam tradere duxi, non tantum quia præsentem nostram conclusionem de solius judicii modalis supra objectivam probabilitatem cadentis sufficientiā firmant, quin roborant

roborant doctrinam hactenus à nobis traditam, quòd opposita opinio possit esse probabilis illi, cui propria est probabilior; & quòd non omnis alicui probabilior sit eidem moraliter certa, nec ejus opposita sit illi non probabilis.

N. 104. Primum est, quòd ad consummatam intellectus perfectionem non satis sit cognoscere verum, sed etiam necesse sit vitare falsum, quòd quidem extra dubium est; nam falsum determinat intellectum ad malum, eumque deteriorat.

N. 105. Secunda est, quòd S. Bonav. opinionem, quam rejicit, vocet satis probabilem, non alius tantum, ut toties dixi, sed sibi ipsi: ergo non est idem probabilius, ac purè probabile; nec minùs probabile idem est, ac non probabile; nec probabilius idem est, ac moraliter certum; nam omne oppositum moraliter certo non est probabile: ergo cum S. Bonav. oppositam suè vocet probabilem, eo ipso sua propria sibi probabilior non est moraliter certa.

N. 106. Tertium est, quòd licet sit juxta statum connaturalem hominis, & juxta prudentiam humanam, assentiri directè objecto incerto ex motivo certò verosimili; atque adeo qui directè assentitur judicio subjectivè probabilis, aut probabiliori, non operetur imprudenter, quin prudenter operatur, si assensus ille probabilis, aut probabilior, etsi in re falsus, fundetur in motivo certo verosimili; longè tamen perfectiori, & prudentiori modo operatur homo, qui nulli objecto incerto directè assentitur, etenim tunc nulli periculo errandi se exponit, si error ille sit prudenter si imprudenter conceptus; id est, si error ille sit ex motivo certo probabili, aut probabiliori, aut moraliter certo; si vero sit ex motivo non certo probabili, aut certò improbabili.

N. 107. Quartum est, quòd, juxta D. Aug. error non est juxta naturam instituti hominis, sed est poena hominis peccatoris, atque adeo in presenti statu aliquam culpam supponit.

N. 108. Quintum est, quòd, juxta P. Suar. sit communis, vera, & tenenda sententia, quæ docet, quòd Adam ante peccatum in statu justitiæ originalis nullum potuisset concipere errorem, atque adeo nulli objecto incerto, etsi probabiliori, aut moraliter certo, potuisset directè assentiri; quia omne tale judicium poterat esse in re falsum.

N. 109. Sextum, quòd, juxta communem T. T. humano intellectui in purâ naturâ condito, suisque viribus relicto non conveniat immunitas ab omni errore; eo modo, quo corpori humano in purâ naturâ non convenit

immunitas ab omni labore, infirmitate, & morte, quin juxta intellectus humani naturam est posse aliquando non solum in practica, sed etiam in speculativa cognitione decipi; ea tamen immunitas ab omni errore convenit homini ante peccatum ad statum gratiæ elevato, & in statu naturæ integræ, aut justitiæ originalis; & ideo Adam ante peccatum errare non potuit: ergo licet homini in statu naturæ lapsæ, aut puræ naturæ, connaturale sit aliquando errare, attamen non errare, est illi longè melius, quoties potest; sed hoc toties potest, quoties illi liberum est nulli objecto inevidenti assentiri directè; ergo si nulli objecto inevidenti, etsi sibi probabiliori, aut moraliter certo, directè assentiat, nunquam errabit.

Hinc nota, quòd juxta hominis lapsi naturam sit, tum errare, tum non errare: errare, quatenus non convenit illi immunitas ab omni errore; & ideo si objecto inevidenti sibi certo probabili, probabiliori, aut moraliter certo, directè assentiat, esto tunc erret, non peccabit: non errare, quatenus est illi liberum semper suspendere omne judicium directum inevidens, etsi sibi moraliter certum. Sicut ergo nulla datur lex obligans hominem, ne erret, quoties error est invincibilis: (est autem, quoties est certò probabile, aut probabilius, aut moraliter certum, quòd tale judicium non sit in re falsum, sed verum) sicut, inquam, non datur lex obligans hominem, ne invincibiliter erret; ita nulla datur lex obligans hominem ut voluntariè erret, seu ut formet judicium directum de re inevidenti, etsi probabilius, aut moraliter certum.

Ex quo patet mirabilis nostræ doctrinæ harmonia: Etenim tuemur posse hominem prudenter directè assentiri objecto inevidenti, quoties hoc sit certò probabiliter, aut probabilius verum: & simul tuemur, nunquam necessitari hominem assentiri directè tali objecto inevidenti, etsi appareat certò moraliter verum. At Probabilioristæ Moderni tuentur, tum quòd homo inter probabilia necessitetur ad probabilius; tum quòd inter duo judicia, unum modale seu reflexum, aliud absolutum, seu directum, necessitetur semper ad concipiendum judicium directum de veritate; hoc autem est obligare hominem, ut erret materialiter, etsi prudenter: potest quidem homo voluntariè prudenter errare materialiter, ut accidit in eo, qui concipit judicium directum subjectivè certò probabile, aut probabilius, aut moraliter certum de objecto inevidenti; omne enim tale judicium semper potest esse, & sæpe

sæpe est in re falsum : & multò magis potest homo involuntariè prudenter errare , ut accidit in eo , qui errore invincibili laborat : At negamus obligationè errandi voluntariè , etsi prudenter ; ergo negamus legem assentiendi directè objecto inevidenti antequam operemur .

N. Septimum est , quòd ut P. Suar. explicet , præscindendo à Divinà revelatione , aut speciali Dei providentià , modum , quo Adam ante lapsum , seu in statu innocentie potuerit semper esse immunis ab omni errore materiali , ita ut circa rem , etsi valde incertam , nec erraverit , nec errare potuerit , unicè appellat ad suspensionem iudicii directi , seu absoluti de re , etsi subjectivè moraliter certi ; & ad solius iudicii modalis , seu reflexi circa probabilitatem , aut probabilioritatem ejusdem rei elicitionem còvolat : ita ut nunquam judicaverit absolute , & definitè de ullà re inevidenti , sed tantum judicaverit modaliter , seu reflexè de apparentià ejusdem objecti inevidentis ; quæ apparentia , seu probabilitas , aut probabilioritas semper erat evidens ipsi Adamo .

N. Octavum est , quòd sicut omne iudicium directum de re inevidenti , etsi moraliter certum , est semper subjectum errori ; ita vice versà nullum iudicium modale de ejusdem rei inevidentis probabilitate est subjectum errori , eò quia ea probabilitas supponitur evidens : ergo cum Adam in statu innocentie potuerit semper solum reflexum evidens de rei probabilitate concipere iudicium , potuit numquam circa rem inevidentem errare .

N. Nonum est , quòd licet iudicium definitum , seu absolutum , aut directum de ipsà veritate inevidenti sit juxta naturæ lapsæ statum ; attamen non congruit , immò dedecet naturam non lapsam , & elevatam : ergo licet prudenter , & conformiter ad lapsæ naturæ statum operetur , qui circa veritatem inevidentem elicit iudicium absolutum , & directum subjectivè probabile , probabilius , aut moraliter certum , de eadem incertà veritate ; attamen longè prudentius , & perfectius operatur , qui in eodem statu naturæ lapsæ abstinet ab omni iudicio directo , etsi subjectivè moraliter certo de veritate ; & unicè ad modale evidens non tantum de maiori , sed etiam de minori probabilitate veritatis ejusdem rei appellat ; iste enim in statu naturæ lapsæ æmulatur statum naturæ integræ quoad modum intelligendi , & operandi in re incertà , & inevidenti .

N. Decimum est , quòd , ut ait P. Suar. ad P. Suar. omnem usum prudentiæ , & rerum agenda-

rum in rigore sufficiat iudicium modale evidens de rei probabilitate , aut verisimilitudine . Si autem illud modale sufficit in statu justitiæ originalis , immò ita in hoc eodem statu justitiæ originalis sufficit , ut implicet in eodem statu iudicium directum , etsi moraliter certum , quatenus ei statui convenit immunitas ab omni errore etiam materiali : rogo qualiter Neoterici , ut perfectè operemur in statu naturæ lapsæ , probabunt insufficientiam solius iudicii reflexi , immò dari obligationem iudicii directi antequam operemur ? etsi enim tale iudicium directum de re inevidenti sit naturæ lapsæ accommodatum , quatenus illi non debetur immunitas ab omni errore materiali ; attamen necessarium non est , nec ipsi lapsæ naturæ statui nec modo , quo in naturà lapsæ intelligere , & operari possumus : etenim non prohibetur homini in naturà lapsæ constituto , ut à iudicio modali absteineat ; nec præcipitur , ut iudicium definitum de re incertà eliciat : quin homini in naturà lapsæ constituto permittitur quidem , ut definitum de re incertà proferat iudicium ; at non obligatur ad illud elicendum ; immò suadetur , ut quantum potest , æmuletur perfectionem status naturæ integræ quoad modum opinandi , aut operandi circa rem incertam : modus autem non est nisi suspendere semper directum de re incertà iudicium , etsi esset subjectivè moraliter certum ; & concipere solum evidens de apparentià , seu objectivà probabilitate , maiori , aut minori , veritatis incertæ , modale iudicium .

Undecimum est , quòd suspensio omnis iudicii directi inevidentis proveniat tum à libertate hominis , tum à summā animi compositione , tum à carentiā passionis preventis , quibus omnibus cum constaret homo in statu naturæ integræ , poterat facillimè omne definitum inevidens iudicium suspendere : ergo contra pronitas , & inclinatio ad ferendum iudicium directum inevidens oritur tum ex animo immoderato , tum ex voluntate passionibus preoccupatā . Hoc tamquam indubitabile affirmat P. Suar. Quod vellem animadverteret Probabilioritæ obligantes tum inter iudicia inæqualiter probabilia ad subjectivè probabilius , tum inter iudicia evidens reflexum de rei , seu honestatis , & veritatis probabilitate , aut probabilioritate ; & inter iudicium directum de ejusdem rei inevidentis honestate , & veritate obligantes , inquam , ita ad directum , ut negent satis se solo esse evidens reflexum . Sanè hoc non est nisi obligare hominem ut ex inordinatā animi passione procedat : & ideo idem

P. Suar. idem P. Suar. ait, quod cum Adam in statu naturæ integræ esset prudentissimus, & bene ordinatus, & tale iudicium directum sibi non esset ad res agendas necessarium; immo tale iudicium inevidens esset subiectum falsitati, poterat Adam omne iudicium inevidens directum suspendere. Immo ait, quod prolatio iudicii directi inevidentis aliquā in Adā culpam præsupposuerit: ergo tantum abest, ut homini in naturā lapsā insit obligatio ferendi iudicium directum de re agenda sibi incertā, & inevidenti, quin hoc supponit culpam.

N. Duodecimum est, hoc esse discriminis inter naturæ integræ, & lapsæ statum, quoad modum se habendi in incertis; quod in statu naturæ integræ non poterat homo concipere iudicium directum inevidens, eo quia ei statui debebatur immunitas ab omni errore etiam materiali: at in statu naturæ lapsæ non debetur homini immunitas ab omni errore materiali: ex hoc autem non fit, quod homini in statu naturæ lapsæ insit lex obligans, ut se exponat periculo erroris, ut volunt Probabilioristæ necessitantes hominem antequam operetur, ut ferat semper iudicium definitum de inevidenti veritate rei.

N. Decimumtertium est, quod in homine ante lapsum in statu naturæ integræ, & iustitiæ originalis considerato nullus dari poterat error, non tantum involuntarius, quia eum statum dedecbat, sed nec voluntarius, quia talis error oriri non poterat nisi ex aliqua culpa; sed ante omnem culpam nulla erat culpa: ergo in homine ante omnem culpam in eo statu considerato nullus dari poterat error nec involuntarius, nec voluntarius. At in statu naturæ lapsæ dari potest error, tum involuntarius, quia hunc statum non dedecet; tum voluntarius; hic autem tripliciter contingere potest, vel cum culpā veniali, vel cum mortali, vel sine omni culpā. Exemplificat autem P. Suar. errorem voluntarium sine culpā, trahendo in exemplum hominem, qui assentitur directæ opinioni probabilī, in quā (ait) nihil peccat, quando prudenter se gerit, etsi ea opinio esset in re falsa: ergo, juxta P. Suar. error insitus opinioni probabilī, (non dicit, probabiliori) etsi sit voluntarius, quatenus homo liberè assentitur ei opinioni probabilī, est tamen sine culpā.

Ex quo patet, quod licet homo in statu puræ naturæ, aut naturæ lapsæ errare possit assentiendo opinioni, non tantum moraliter certæ, aut probabiliori, sed etiam æquæ, aut minus probabilī, non tamen peccat. Rursus patet aliud esse, quod homo assentiens opi-

nioni subiectivè probabilī, aut probabiliori, aut moraliter certæ non peccet; aliud quod ut licitè, & honestè operetur, teneatur assentiri directæ opinioni saltem probabiliori, aut moraliter certæ; ita ut illi non liceat uti solo iudicio modali, seu reflexo evidenti de objectivā probabilitate, aut probabilioritate honestatis, aut veritatis, suspensio omni directo subiectivè probabilī, aut probabiliori de honestate actus, aut veritate opinionis; & sub eo solo dicto reflexo iudicio licitè procedere ad operationem. Primum fatemur; alterum contra Neotericos Probabilioristas negamus.

§. V.

Irrefragabiles rationes ex eadem P. Suares doctrinā nostro intento faventes.

S U M M A R I U M.

Homini in statu naturæ integræ satis, & quidem unice erat solum modale, ergo satis saltem, si non necessarium, erit illud idem in naturā lapsā, à n. 119.

Error tam voluntarius, quam involuntarius dedecet naturam integram, n. 120. 121.

Si necessarium semper ad honestè operandum esset iudicium directum, homo in naturā integrā non potuisset honestè operari in incertis, n. 122.

Etsi statum hominis lapsi non dedecet iudicium directum subiectivè probabile, attamen ad illud, etsi probabilis non obligatur, n. 123.

Error est malum intellectus, etsi sit materialis, & est pensio vel culpe, vel puræ naturæ, n. 124.

Probabilioristæ obligantes ad iudicium directum, ut dent homini bonam voluntatem, dant ei malum intellectus, ibid.

Ex necessitate iudicii alienius, ut quis honestè operetur, non infertur necessitas directi, n. 125.

Ne quidem ex imperfectione status naturæ lapsæ, ad quam satis ut homo possit, non vero, ut debeat exponere se errori, ibid. & n. 126.

His præjactis, ita arguo 1. Ut homo in statu iustitiæ originalis, aut naturæ integræ prudentissimè, & rectissimè operetur circa objecta sibi incerta, nullo egebat, immo omne iudicium directum, etsi moraliter certum, à se excluderebat; satis enim illi erat iudicium evidens modale de objectivā probabilitate, aut probabilioritate, aut morali certitudine honestatis: ergo ut homo in statu puræ naturæ, aut naturæ lapsæ honestissimè operetur, nullo eget iudicio directo, sed satis illi erit reflexum evidens de obje-

objectivā morali certitudine, aut probabilitate, aut probabilitate honestatis, juxta principia, & sententiam, quam quis sequitur circa licitum usum vel minus probabilis, vel solius probabilioris, vel solius moraliter certae.

N. Antecedens est Theologis certum; nam
120. omnis error materialis, si sit involuntarius, dedecet statum naturae integræ, & justitiæ originalis; si sit voluntarius, repugnat utrique statui; nam omnis error voluntarius supponit necessario vel culpam, seu statum naturae lapsæ, vel statum naturae puræ: sed statum naturae integræ, aut elevatæ ad justitiam originalem, consideratus ante omnem lapsum, nec est status naturae lapsæ, nec est status naturae puræ: ergo statum naturae integræ, aut elevatæ ad justitiam originalem, consideratæ ante omnem lapsum, dedecet, immo repugnat omnis error materialis tam involuntarius, quam voluntarius.

N. Prima consequentia est ineluctabilis: Si
121. enim ut homo elevatus ad justitiam originalem, & consideratus ante omnem lapsum, prudentissimè, & honestissimè operaretur, satis illi erat solum judicium modale de objectivā maiori, aut minori probabilitate honestatis: immo si non nisi per suspensionem judicii directi, etsi subjektivè moraliter certi; & per solius reflexi conceptionem immunitas ab omni errore materiali, homini in statu naturae integræ, & justitiæ originalis considerato conveniens, defendi potest: rogo, cur, ut homo consideratus in statu puræ naturæ, aut in statu naturae elevatæ, sed lapsæ, honestissimè operetur, non satis illi erit solum judicium modale de objectivā probabilitate, probabilitate, aut morali certitudine honestatis, suspensio omni directo subjektivè probabili, probabili, aut moraliter certo de veritate honestatis?

N. Confirmo 1. Si necessarium semper esset
122. directum de honestate judicium, homo consideratus in statu naturae integræ, & elevatæ ante omnem lapsum, non posset honestè operari, quoties honestas erat incerta; sed hoc dici non potest; ergo nec illud: ergo ut homo honestè operetur, non est necessarium semper judicium directum. Sequela probatur; quia homo ante omnem lapsum consideratus in statu justitiæ originalis, aut naturae integræ, non poterat semper concipere judicium directum de honestate; & tamen poterat honestè operari, ut certissimum supponit P. Suar. cum communi T.T. Antecedens probatur; quia homo in eo statu consideratus erat incapax erroris materialis, etsi prudentissimè concepti; ergo nullum pote-

rat in eo statu formare judicium directum, etsi subjektivè moraliter certum, de honestate; ergo non semper poterat concipere judicium directum; ergo poterat sine judicio directo honestè operari.

Confirmo 2. quia licet verum sit, quod N. non dedecet statum hominis in natura purā, aut lapsā considerati, judicium directum subjektivè probabile, probabilius, aut moraliter certum, etsi in re falsum, de honestate materiali, & sub eo judicio directo honestè, & prudenter operari; ex hoc tamen non sequitur, quod obligetur illud concipere, ut honestè operetur; & quod non possit amulari modum operandi hominis considerati ante omnem lapsum, sive in natura integrā, sive in elevatā ad justitiam originalem. Vbinam enim, quæso, talis lex obligans hominem, ut voluntariè saepe materialiter erret, ad hoc ut honestè operetur? Sed omne judicium directum naturale invidens, etsi moraliter certum de honestate materiali, semper est capax erroris, & saepe est error materialis voluntarius, quatenus libere elicitur: ergo &c.

Confirmo 3. quia omnis error, etsi materialis, & prudentissimè conceptus, est materialis, & ideo repugnat statui hominis ante omnem lapsum considerati tam in naturā integrā, quam in elevatā, & est pensio, vel peccati, vel puræ naturæ, cujus status est imperfectus: ergo nulla datur lex obligans ad judicium directum incertum. Antecedens patet ex dictis, & ex S. aug. Aug. refundente omnem errorem, quem homo elevatus post lapsum concipit, in prævium peccatum. Consequentia probatur; quia lex de judicio directo invidens, est lex obligans hominem, vel ut erret materialiter, vel saltem, ut se exponat periculo erroris materialis; ergo est lex obligans hominem ad malum saltem physicum intellectus. Lepidum autem videtur quod, ut homo habeat voluntatem bonam, teneatur habere intellectum malum, ut accidit in doctrinā Neotericorum; hi enim, ut homo honestè operetur, seu ut hominis voluntas per honestatem actus perficiatur, obligant, ut formet judicium directum sæpe in re erroneum, & semper erroris expositum; adeoque ut homo habeat malum intellectum.

Arguo 2. Ex eo quod detur necessitas alius
cujus judicii, ut honestè operemur, non sequitur, quod detur necessitas judicii de honestate: ergo ut honestè operemur, nullum est necessarium judicium invidens directum de honestate. Antecedens probatur; quia vel hæc necessitas judicii directi de honestate rei,

rei, ut honestè operemur, oritur ex perfectione modi intelligendi, & operandi, vel ex imperfectione? Non primum; quia tantum abest, ut tale iudicium de honestate necessarium sit ex perfectione, quin quia omne iudicium de honestate rei invidens est, vel erroneum, vel saltem capax erroris, hinc est, quòd nec in naturà integrà, nec in elevatà, consideratà ante omnem culpam, locum habet, eò quia uterque status longè excedit tam puram naturam, quàm naturam lapsam: ergo ratione perfectionis necessarium non est iudicium de honestate, ut honestè operemur. Non ratione imperfectionis; quia ut imperfectio status naturæ puræ, aut lapsæ salvetur, satis est, ut iudicium invidens de honestate sit illis connaturale, non autem necesse est, ut sit necessarium: ergo ratione imperfectionis status naturæ lapsæ non est necessarium iudicium invidens de honestate, ut honestè operemur: ergo si, ut in statu innocentiae honestè operemur, satis se solo est iudicium modale de probabilitate honestatis, immò adeo satis est, ut illud solum necessarium sit, nec in eo statu haberi possit invidens de honestate iudicium; multò magis, ut in naturà lapsà honestè operemur, satis se solo erit iudicium modale de probabilitate honestatis; etsi huic statui ratione suæ imperfectionis conforme sit ipsum iudicium invidens de honestate.

Confirmo; quia status naturæ integræ ad iustitiam originalem elevatæ differt, & excedit statum naturæ lapsæ, non tantum in aliis pluribus, sed etiam in modo intelligendi, & agendi circa incertà, sed excessus ille non est nisi, quòd statum naturæ integræ deceat immunitas ab omni errore, & dedecet omnis error, & omnis erroris capacitas, & ideo in naturà integrà omne iudicium directum invidens repugnabat: ergo suspensio omnis iudicii directi invidens de honestate est excessus, quo natura integrà in modo opinandi, & operandi circa incertà excedit ipsam naturam lapsam: ergo modus opinandi, & operandi, suspensio omni directo invidenti de honestate iudicio, & concepto solo reflexo de probabilitate honestatis, est modus opinandi, & operandi longè perfectior, quàm sit, vel neglecto iudicio reflexo solum invidens directum de honestate iudicium concipere; vel cum iudicio directo invidenti de honestate simul concipere iudicium reflexum evidens de probabilitate honestatis. Si ergo talis modus operandi honestè sub solo reflexo evidenti iudicio de probabilitate honestatis est adeo excedens, perfectus, & necessarius ipsi naturæ integræ, quo jure

Tom. III.

Neoterici hunc modum naturæ lapsæ interdicerent, & nobis legem statuerent vetantem, ne suspendamus iudicium directum, five probabile, five probabilius, five moraliter certum, si honestè operari velimus? Amabo ego Deiparam, Angelos, Beatos, & Adam in innocentiae statu imitari, eorumque intelligendi, & honestè operandi modum potius assequi, quam Neotericos ipsos, & quidem citra horum injuriam.

SECTIO IV.

Tertia ratio ex multiplici, eoque reflexo modo, quo Theologi, & Prudentes directas solent resolvere questiones.

§. I.

Judicium de opinionis communitate, vel autoritate.

SUMMARIUM.

Theologi sæpe hanc solâ formâ reflexâ, communis est opinio, explicant suam mentem, n. 128.

Si satis est solum iudicium reflexum de communitate opinionis, cur non de probabilitate? n. 129.

P. Possevinus numerat sexaginta Summas Antiquorum, n. 130.

Nullus est Theologus, qui aliquando non suspendat iudicium directum de veritate, solo contentus de communitate, ibid.

Vel de autoritate, n. 131.

S. Thom. videtur deobligare à iudicio directo de veritate, n. 132.

Si satis solum reflexum de extrinsecâ, multò magis de intrinsecâ probabilitate, n. 133.

Sicut rectè respondet, qui dicit ex. gr. D. Thomam hoc docere licitum, suspensio omni iudicio de veritate opinionis D. Thomæ; ita rectè operatur, qui sub eo operatur, hoc suspensio, n. 134. 135.

Modus suspendendi iudicium directum est Prudentum testera, n. 136. & 137.

Exemplo iudicium illustro; nam Testes, qui obligantur jurare, an hoc audierint, non ideo jurant verum id, quod audierunt, n. 138.

PLurima ex famosioribus TT. congesti N. loca disp. 22. quibus ad oculum ostendi citatis eorum verbis, quantum in suo modo loquendi, & resolvendi quaestiones directas, familiare illis sit, tam in materiâ speculativâ, quàm practicâ, appellare unice ad iudicium reflexum. Modò in presenti sectione demonstrare contendo, quàm feliciter Theologi Deipare, Angelorum, Beatorum, & Adam vestigia presserint; non quidem trahendo

Bb eorum